

muter publicari, in hunc modum scribitur: Sicut hoc totum circa decessum bona memoria prædecessoris nostri Lucii Pape, qui vos iudices delegaverat, sub examine vestro asseritis contigisse. Postea verò sequitur vericulus: Nos autem inquisitioni vestra taliter respondemus, ut refert, & advertit Anton. August. Episcopus Ilerdensis collectionis 1. Decretal. l. 1. tit. 21. de off. & pot. judic. deleg. c. 23. fol. mibi, 20. & in scholiis postea animadvertit: quæ licet non vidissent, nec sic animadvertere, correctionem præfatam rectissime probarunt, & unam Decretalem corrigi per aliam, magis communiter utriusque juris Interpretes constituerunt; inter quos Bartol. in d. l. & quia, n. 13. Paulus, Fulgositus, & Communis secundum Alexan. n. 30. secundum Socin. n. 75. Jasonem n. 57. in princip. Orosium n. 26. & Purpuratum n. 11. ibid. Innocent. etiam, Oltiensis, Joannes Andreas, Imola, & Abbas in d. c. relatum, ubi Felinus n. 10. Siculus n. 6. & Decius n. 3. idem Felinus & Alciatus in d. c. gratum, in principio. Anton. Gab. commun. lib. 2. titulo de procuratoribus, concl. 2. Cujacius observat. lib. 9. cap. 22. & secundum hæc, ut antea dixi, frustra torquentur, qui Lucii III. & Urbani III. Pontificias constitutiones componere, in concordiamve reducere contendunt; cñ ex dictis jam, atque ex verbis in integra adjectis, manifeste constet Urbanum non solum Lucii III. Prædecessoris sui successorem, sed etiam emendatorem, atque suæ constitutionis circa requisitum litis contestationis alteratorem fuisse.

Quod si dixeris, text. in d. c. relatum, jam correctum ex d. c. gratum; ad quid in volumine Decretalium insertum, sive cum utrumque jus sua voce dilucide protestatum fuerit, nihil absolum, nihilque contrarium relinquere, quoniam pacto Pontificias constitutiones sic contrarias reliquerit; Objectioni huic, ex mea equidem, & non contemnenda consideratione, responderi poterit, in primis, novum non esse, una jura alia corrigere, & nihilominus correctæ, sic in corpore juris includi, ac si nunquam correctæ fuissent, vel quia compilatori sic placuit, vel quia opposita juxta se posita magis elucescunt: Deinde non videri, nec dici posse contraria relicta, ex quo de correctione apparet; aliud namque est, in eodem casu duo jura contrarium directo decidere, nec de correctione prioris apparere: quo casu absolum esse, & juris protestationi contrarium diceremus. Aliud verò, constitutionibus duabus contrariis appositis, posteriori emendare priorem, & factam ab eo, qui emendandi, atque corrigendi potestatem habuit; tunc namque dici non posse absolum aliquid, aut contrarium relictum: absolum namque non est, una jura alia corrigere.

Respondetur deinde, quod cum Urbanus III. constitutionis Prædecessoris sui Lucii III. memor, conficiusque fuisset, illamque emendaret expressim, conveniens quidem fuit, ejusdem Lucii decisionem in volumine decretalium, & adeo proximam, atque conjunctam decisioni d. c. gratum, relinquere, (quod non absque maximo mysterio factum est, ut credo) ut quæ esset illa constaret, Urbani etiam emendatio, aut constitutio contraria, an juris rationi magis consentanea esset, deduci posset apertius: absolum namque esset, quod Urbanus III. Lucii III. sic mentionem fecisset, atque ipsius constitutionis emendator fuisset, nec de ejusdem Lucii decisionem constaret.

13 Quinto deinde constituo, Innocentium III. in d. c. licet undique, non ita clare rem hanc explicasse, sicut Urbanus III. in d. c. gratum, & Gregorius IX. in d. c. ultimo, de officio legati, explicarunt; propterea quod Gregorius, & Urbanus, eo ipso dixerunt jurisdictionem delegatam perpetuari, quod res geri coepta est, & quod per actum citationis, res geri coepta censetur declararunt. Ipse tamen Innocentius duntaxat dixit perpetuari jurisdictionem si delegatus uti coeperit, sed non apparuit per quod actum videretur uti coepisse, sive res geri coepta diceretur, ut supra, n. 7. advertabam, Inde, & conse-

quenter, eum text. intelligi debere, juxta text. in d. c. gratum & in d. c. ultimo, non vero secundum text. in d. c. relatum, correctum jam, & emendatum ab Urbano III. in dict. cap. gratum.

Præterea, Urbanum ipsum III. in d. c. gratum, & juridice quidem, & doctè, & piè etiam se habuisse, sive cum ratione juris æquitatem suam præ oculis etiam posuisse, eò in primis, quod cum jure civili id esset clare, & velut expressim denotatum in d. l. & quia ff. de jurisdictione, omni. judic. ex quo verba illa (antequam res ab eo, cui mandata est jurisdictione, geri coeperit) actum citationis comprehendunt omnino; & jure Pontificio licite posse, ac debere id ipsum fieri videbatur, argumento text. in c. 2. de causa possessionis, & propri. & in c. 1. de novi operis nuntiatione. eo etiam, quod ita litis magis abbreviari, nec propter mortem delegantium retardari, partiumque sumptus, expensas, & labores excusari intendisset; id quod efficere debuit, & curare, juxta text. in l. properandum, C. de iudiciis, & in c. finem litibus, de dolo & contumacia, d. c. 2. de causa possessionis, & propri. & ne ita de facili contingeret mandata Apostolica debitum exitum non habere, sive illa reddi illuforia, novove iudices delegatos exigi à partibus, atque à Sanctis Patribus creati necessarium foret, si litis contestatio requiretur, idcirco eam viam elegit, qua facilius delegatæ jurisdictionis perpetuatio, & difficilius extinctio ejusdem contingeret, & in proposito sufficere citationem decrevit quia tam res geri coepta, aut quasi coepta est, nec contestationem litis exegit, quæ in dict. l. & quia, expressa non fuit.

Sexto constituo, ex dictis hæcenus manifeste deduci, secundum opinionem ex tribus à me relatis supra n. 4. veriorum esse, & tenendam omnino, & consequenter de jure Pontificio ad perpetuandam delegati iudicis jurisdictionem, solam citationem requiri ex clara decisione text. in d. c. gratum, & in d. c. ultimo, de officio legati. idque & de jure Cæsareo similiter obtinere, ex d. l. & quia, ut utrumque rectè profertur Jason n. 57. versic. Breviter communis sententia est, in eadem l. & quia Decius n. 5. in eodem c. gratum. Primam autem relatum supra, d. num. 4. minime juvari ex decisione text. in d. c. licet undique, de officio deleg. & destrui ex decisione clara d. c. gratum, & dict. c. ult. de officio leg. ex quibus explicari debet (ut antea dixi) text. in eodem c. licet undique, ut Decius d. n. 5. optime percipit, & præfatum dubium vere declarat. Tertiam denique opinionem (quam ibid. retuli d. num. 4.) nullo pacto sustineri posse tanquam contrariam decisioni text. in d. c. gratum, & in d. c. ultimo, nec fulciri per text. in d. c. relatum, ut pote ab Urbano III. jam correctum, & emendatum.

Septimo & ultimo constituo, jus Regium nostrum Partitarum in eadè videri fuisse contrarietate, qua jus Pontificium fuisse ostendimus; nam in l. 21. titulo. 4. partit. 3. delegati potestatem solvi, ante litis contestationem delegante mortuo, vel ab officio remoto, probatur expressim, & vel Lucii III. constitutionem in d. c. relatum, contentam, videtur lex illa sequuta, in illis verbis: La tercera es, si muere, o pierde el officio, aquel, que mando oyr el pleyto en ante que el deleg. lo comienze & oyr por demanda, e por respuesta. aut verba Jureconfulti Pauli, in d. l. & quia, ad litis contestationem referenda putarunt ejus compilatores, ut tunc scilicet res ab eo, cui demandata est jurisdictione, geri coepta dicatur, cum litis contestatio ante obitum delegantis præcessit; l. verò 35. tit. 18. eadem 3. partit. 3. vel Urbani sententiam in d. c. gratum, aut Gregorii IX. in d. c. ultimo, sequitur; vel verba d. l. & quia, ad citationem referenda arbitrat, & in hunc modum scribit. Ca muriendo alguno de los no debe valer la carta, si el pleyto no es comenzado, alomenos por emplazamiento; mas pues que comenzado fuere desta manera, deve valer la carta para deliberarse se el pleyto dende en adelante por ella, entre aquellos cuyo es el pleyto, o sin herederos. Utraque autem lex (ut vides,

## De forma Leg. 27. Tauri in Majoratibus servanda. Cap. XXX. 171

vides) sic aperte & expressim; modò litis contestationem, modo citationem requirit, ut ferè videatur prima facie legis ipsæ ad concordiam reduci non posse; sed quod debeat [ut ego securè arbitror] juxta veriorum & communiorum juris communis sententiam accipi, & declarari; & consequenter per solam citationem, etiam de jure hujus regni, jurisdictionem delegati perpetuari asserere necessarium est; ut rectè asserit, & contrariam Didaci Perez opinionem merito improbat D. Paz, in sua praxi, annotatione 1. de iudicio, n. 39. in fine, dicens illa jura Regia componenda, & intelligenda esse, sicuti intelligitur text. in d. c. relatum, cum textu in d. c. gratum: quod etiam in effectu sentit Gregorius Lopez, in d. l. 21. verbo, por respuesta, dum dixit, Vel per citationem; ut ostenderet, citationem solam sufficere. Contrarietas autem ipsarum legum Partite, fortassis (ut ego assequi possum) fluxit ex eo, vel quod illo tempore Lucii III. & Urbani III. constitutiones viderentur adeo contrariæ, ut Partitarum conditores, atque compilatores nolent tunc aliquam de prædictis sententiis reprobare, nec cuiquæ earum aliquod præjudicium ex sua responsione generari; sed in terminis juris communis re illa relicta, nec aliquo de novo introducto, modò litis contestationem exigit una lex; modo sola citationem, alia contenta est, juxta terminos d. c. relatum, & d. c. gratum, vel forsitan in d. l. 35. idcirco sufficere citationem fuit expressum, ut per eam legem corrigeretur decisio d. l. 21. & communior sententia DD. probaretur, quemadmodum per text. in d. c. gratum, corrigitur textus in d. c. relatum.

## CAPUT XXX.

## De forma leg. 27. Tauri in Majoratibus servanda.

Ordo & forma, quæ in l. 27. Tauri præscribitur, utrum servari debeat, non solum in substitutionibus descendendum legitimorum, sed etiam illegitimorum, tam respectu patris, quam matris, ubi omnia recensentur in unum, quæ hujus regni Scriptores hæcenus tradiderunt, his & noviter, & vere adjiciuntur nonnulla, quæ dicta l. Regia mentem, & intentionem dilucide magis declarant, nec per aliquem fuerunt hucusque sic adnotata, nec scripta.

## SUMMARIUM.

- Meliorationem tertiæ partis bonorum suorum facientem, teneri præcisè observare ordinem in l. 27. Tauri, præscriptum; nec posse illum aliquo modo perverti, est enim de substantia actus, ut denotat verbum illud, con tanto, quod inducit conditionem, quæ conditio in specifica forma debet adimpleri.
- Meliorationem tertiæ partis bonorum suorum facientem, utrum ordinem l. 27. Tauri præcisè observare teneatur, non solum in substitutionibus descendendum legitimorum, sed etiam in cæteris substitutionibus descendendum illegitimorum, & aliorum, qui in eadem lege enumerantur; & per totum caput.
- L. 27. Tauri, verba expenduntur quæ præfato dubio occasione tribuisse videntur, prout hoc num. adnotatur.
- Verbum pueda, Latine, possit, non inducit necessitatem sed voluntatem.
- Filii naturales, & spurji, & nati ex damnabili coitu quocumque modo mater ex illo penam mortis non incurrat, ex testamento, & ab intestato, & contra testamentum matri succedunt.
- Filii naturales ab intestato non succedunt patri, nisi in duabus uncis, hoc est in sexta parte hereditatis, nec contra testamentum admittuntur, sed dumtaxat Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris Tom. II.

cat ex testamento non extantibus descendentibus legitimis, licet ascendentes supersint.

- Dicta l. 27. Tauri dubium proponitur, & numero sequ.
- Vocationes omnes quæ in l. 27. Tauri, continentur, fieri ex sententia quorundam ad similitudinem earum, quæ in substitutione exemplari formantur; & vide infra, num. 20. & 21.
- In substitutione exemplari ultra descendentes legitimos, hoc est filios furiosos, vel mente capti, non inducitur à lege necessitas substituendi alios; & vide infra, num. 20. ubi magis declaratur.
- Andree Angeli in dubio proposito supra, ex num. 2. opinio refertur, & num. sequ. improbat.
- Ordo in l. 27. Tauri præscriptus, quod debeat omnino, & præcisè observari in omni substitutione tam descendendum legitimorum, quam illegitimorum, & aliorum, qui in eadem l. enumerantur; & num. sequ.
- Et hujus sententiæ concludens fundamentum adducitur.
- Diluitur primum fundamentum quod resolutioni tradita supra, num. 11. obviare videbatur, & l. 27. Tauri verus sensus profertur.
- Secundi fundamenti contra eandem resolutionem adducti, communis resolutio refertur.
- Avendani in proposito resolutionis superioris rationes dua, & noviter, & verè convicte.
- Pro ratione, atque explicatione d. l. 27. Tauri, nonnulla noviter, & distinctè magis, quam antea fuissent, hoc loco adnotata per Authorem.
- L. 27. Tauri constitutionem, in filiis naturalibus respectu successoris matris nihil novi continere, nec dubitationem aliquam specialem venire decidere.

Sed duntaxat ad tollendas dubitationes omnes, quæ respectu ordinis vocationum esse possent, in futurum statuere, atque præfingere ordinem, quo vincula, aut gravamina apponi, vel substitutiones fieri debeant.

Quod hoc num. latius demonstratur, Avendanique, & Joannis Gutierrez consideratio, noviter, & verè evincitur.

- Filii naturales, utrum matri in majoratu succedant, an etiam in quocumque majoratu regulariter succedere possint, remissivè.
- Legis 6. Tauri decisionem, minime obesse resolutioni tradita supra num. 11.
- Et ibidem Avendani intellectum ad eandem leg. Didaci del Castillo fuisse adnotatum ab Authore.
- L. humanitatis C. de impuber. & aliis substituit. verus sensus adducitur.
- Exemplaris substitutionis similitudo, tunc demum procedit cum substitutionibus, quæ in l. 27. Tauri apponuntur, cum eadem ratio militat, aut idem jus, non diversum statutum est; non ubi contrarium in altera harum substitutionum reperitur expressum.

Pro absoluta & distincta hujus capitis explicatione constituendum erit in primis, hoc unum certum esse & ab omnibus unanimiter receptum, qui hæcenus in proposito scripserunt, sive ad leges hujus regni commentaria ediderunt, videlicet, facientem meliorationem tertiæ partis bonorum suorum teneri præcisè observare ordinem in l. 27. Tauri præscriptum, nec posse illum aliquo modo perverti, est enim de substantia actus, ut denotat verbum illud Con tanto, quod inducit conditionem, quæ conditio in specifica forma debet adimpleri: l. qui heredi. l. Mevius. ff. de condit. & demonstr. & in terminis, sic in ead. l. 27. observavit Didacus del Castillo, in princip. Joannes Lupus num. 50. Gomez Arias num. 59. Tellus Fernandez num. 3. & n. 17. & Velazquez de Avendanno glossa 2. in princ. Molina de Hispan. primog. lib. 2. cap. 2. n. 11. & 12. & 14. Mieres de major. 2. part. quæst. 6. n. 25. & in initio 1. part. cir-



ca fin. Joan. de Matien. in l. 11. tit. 6. glof. 9. in princip. & gloffa 11. n. 3. l. 5. novæ collectionis Regie, & ibid. Azevedus, n. 38. & n. 45. & And. Angulus, glof. 11. n. 2. Joan. Gutier. practicarum l. 3. quest. 52. in princ. ii tamen Authores, tamen præfatum assumptum, sive doctrinam communem ex verbis ejus legis, sic generaliter deduxerint, communiter etiam dubitare solent, utrum meliorationem tertie partis bonorum suorum faciendi, præcisè teneatur observare ordinè d.l. 27. Tauri, non solum in substitutionibus descendentiū legitimorum, sed etiam in ceteris substitutionibus descendentiū illegitimorum & aliorum, qui in ead. l. 27. enumerantur.

Et in primis dubium facit, quod ipsamet l. 27. Tauri quæ hodie est l. 11. tit. 6. l. 5. novæ collect. Regie, in prima vocatione descendentiū legitimorum, præcipiendi loquitur, & sic præcisè vult, quod in substitutione præcisè vocandus sit descendens legitimus, quod constat expressim ex illis verbis: con tanto que los hagan entre sus descendientes legitimis. Sed in sequenti vocatione illegitimorum, & aliorum lex jam non præcipiendi, nec diffiniendo loquitur, sed verbis merè facultatis, & voluntatis utitur, qualia sunt illa; y à falta dello, que lo puedan hazer entre sus ascendientes, y à falta lo puedan hazer entre sus descendientes illegitimis; y à falta, lo puedan hazer entre sus parientes; y à falta entre estranos.

quod verbum, puedan, toties repetitum, Latine, possit, non inducit necessitatem, sed voluntatem, ut in l. Galus, in princ. ff. de liber. & possib. & in l. non quicquid, ff. de judiciis, per quæ jura sic in terminis nostris notavit Tellus Ferdinand. in ead. l. 27. Tauri, n. 12. in princ. Jason etiam in l. 4. §. Cato n. 47. ff. de verbor. oblig. unde videtur, quod licet illegitimi substitui possint, non tamen præcisè, aut necessario eorum substitutio fieri debeat: ut acurè, & subtiliter ante alios consideravit Tellus ipse in d. l. 27. Tauri, n. 12. & post eum sic expendunt ceteri Authores, qui præfatum dubium excitantur, & verè illud fortius adstringitur ratione alia, ab eodemmet Tello conspicienda: nam licet filii naturales, & spurii, & nati ex damnabili coitu quocunque, modo ex illo mater non incurrat penam mortis, ex testamento, & ab intestato, & contra testam. entum matri succedant, si descendentes legitimi non extent, quamvis ascendentes superint. l. 7. tit. 8. l. 5. novæ collect. Regie. ubi latius probant. Matienz. glof. 7. §. 8. & Azev. n. 18. §. 19. idem Mazien. in l. 11. tit. 6. glof. 5. eod. lib. Anton. Gomez in l. 9. Tauri; n. 12. ubi rectè intelligit, & de jure communi citat textum expressum in l. si suspecta, §. de inoffic. ff. de inoffic. testam. Patri tamen iidem filii naturales ab intestato non succedunt, nisi in duabus uncias, hoc est in sexta parte hereditatis; nec contra testamentum admittuntur, sed dumtaxat ex testamento non extantibus descendentiū legitimis, licet ascendentes superint. l. 8. tit. 8. l. 5. novæ collect. Reg. ubi latè probavit Matienz. glof. 5. & Azeved. in d. l. 7. eod. tit. §. l. n. 19. idem Matienz. in d. l. 11. tit. 6. glof. 5. in princip. Mench. de success. creat. l. 1. ad l. quoniam in prioribus, n. 559. Rojas, in epit. success. c. 11. n. 9. & segg. Alvarus Valaf. consultat. 94. n. 3. Anton. Gomez. in d. l. 9. Tauri, n. 11. ubi in proposito citat l. optimam. 8. tit. 13. part. 6. & Greg. Lopez ibi, verbo, acordasse, sic scribit; Satis hic probatur, testamento facto per patrem, nihil posse prætendere filios naturales contra tale testamentum patris; licet enim admittantur secundum voluntatem, non tamen contra voluntatem patris &c. Idcirco quamvis dicta lex Regia Tauri, quod matrem facientem melioratione rectè videatur procedere posse, ac jure etiam matri metipsum necessitatem imponere potuerit vocandi filios illegitimos post vocationem legitimorum, & præferendi eos parentibus: quoad patrem tamen de quo etiam loquitur, dum dicit, mandamos que quando el padre, injusta videtur quidem, & contra juris præfati decisiones; injungit namque necessitatem vocandi filios illegitimos ante meliorantis patres, quos constat filiis naturalibus præferri, nisi testator cõtra voluerit expressim quo argumento, sive ratione superatus Tellus Ferdin.

in d. l. 27. n. 12. in princ. ingenue fatetur, se adhuc non capere efficacem rationem ejus decisionis, sed voluntariam in eo judicare, quatenus in ordine substitutionum meliorationis Tertii, naturalem præfert ascendenti; quod durum sibi videtur, ac necessitatem imponit in Tertio ipso naturales vocandi; cum tamen in legitima sive in cæteris bonis totum hoc patris voluntati sit relictum; sic ut ascendentes naturalibus filiis possint, si velint præferre patres naturales. Præterea, & alias rationes accuratè, & eruditè in eisdem rei confirmationem expendit, quas ideò recensere necessarium non est quod omnes in eundem finem tendunt, ad probandum scilicet ejus legis rationem capi non posse.

Addunt & aliam rationem Velazquez de Avendaño 8. no. Andr. de Angulo & Joann. Gutierrez (quos statim commemorabo) videlicet, quod omnes vocationes, quæ in dicta l. 27. Tauri apponuntur, sunt ad similitudinem earum, quæ in substitutione exemplari formantur, sed in substitutione exemplari ultra descendentes legitimos hoc est filios furiosos, vel mente capti, non inducitur à lege necessitas substituendi alios, ut colligitur ex l. 1. tit. 5. part. 6. ergo idem dicendum est in casu proposito, ut scilicet ultra primum casum descendentiū legitimorum à lege expressum, necessitas non inducatur substituendi alios, sed quod testatori melioranti data sit voluntaria facultas substituendi eos, si velit. Et ita in nostro casu, & dubio proposito supra ex n. 2. intelligit d. l. Regiam 27. Tauri Andr. de Angulo, ad leges meliorationum, l. 11. glof. 11. n. 3. per tot. ac in effectu defendit secure, quod filius naturalis, vel spurius, si mater meliorationem faciat, necessario vocandus sit, quia ejus successio necessaria est. Si vero pater meliorationem efficit, non ita, nec necessario, sed voluntarie vocandus sit hoc est si pater velit, quia patris successio voluntaria est, & non præcisè, aut necessaria, ut supra vidimus.

Cæterum, contraria sententia communior quidem est, & verior, ac omnino amplectenda, nempe, quod ordo, & forma quæ in d. l. 27. Tauri, præscribitur, omnino, & præcisè observari debeat in omni substitutione, tam descendentiū legitimorum, quam illegitimorum, & aliorum, qui in ead. l. enumerantur. Quod (ut vides) convenit doctrinæ generali traditæ supra, n. 1. & in terminis sic omnes hujus regni Scriptores fatentur, ut agnoscit ipse Andr. de Angulo, quamvis contrarium defendat, ut dixi supra, & post Palac. Rub. Didacum del Castillo, & Tellum Ferdinandez, qui in effectu sic tenent, dicit enim, quod quantumcumque dura sit ex illa, forma ipsius observari debet. Hanc secundam sententiam & opinionem constanter tuetur Velazquez de Avendaño in ead. l. 27. Tauri, glof. 2. ex n. 2. §. n. 14. Joan. Gutier. pract. lib. 3. quest. 52. ex n. 5. Mieres de majoratu, 2. part. quest. 6. n. 25. Joan. Matien. in l. 11. tit. 6. glof. 6. in princip. lib. 5. novæ collectionis Regie, & ibid. Azeved. n. 44. & pro hac parte expressè faciunt, nec alio modo cavillari possunt: d. l. 27. verba in fine, ibi: y que de otra manera no puedan poner gravamen alguno, ni condicion en el dicho tercio, quæ cum sint generalia ad omnia, quæ antea dicta fuerant, generaliter accipi debent: l. de pretio ff. de publiciana in rem actio, & omnes casus præcedentes æqualiter comprehendunt, & sic utramque substitutionem, tam legitimorum, quam illegitimorum, idque juxta vulgatam regulam l. tertio §. filius intermedius ff. de liberis & posthumis, quod clausula in fine posita, refertur ad omnia præcedentia, & multis exornant Aviles c. 1. pratorum, gloffa, lo sudodicho, & c. 2. gloffa so pena. Mieres de majoratu, part. 2. quest. ult. n. 3. Menoch. l. 2. præsumpt. 7. per tot. & l. 4. præsumpt. 181. ac pariformiter debent terminare omnes substitutiones, quæ præcedunt, cum omnes illas respiciant, prout respicere in dicta leg. 27. Tauri negari non potest, ex l. jam hoc jure ff. de vulgari & pupillari substit. qua vel sola ratione, & ultra Authores præfatos manifestè convinci considerabam intellectuam quendam, quem ad dict. l. 27. Tauri adducit Andr. Angul. d. l. 11. gloffa

glossa 11. n. 3. in vers. in primis adverte. Quo loco cõten dit probare, verba dict. l. 27. Tauri ibi: Que ayan derecho de les poder heredar, non esse omnino similia verbis l. 1. tit. 8. lib. 5. novæ collect. Regie, ibi enim solum dicitur: Que ayan derecho de les heredar, ut solum comprehenderet naturales, vel spurios respectu matris, qui etiam matre nolente, & etiam extantibus ascendentiū, sunt hæredes necessarii in defectum legitimorum. Cæterum dict. l. 27. Tauri aliter loquitur: Que ayan derecho de les poder heredar, quibus verbis (ut Author metipse arbitratur) complexa est lex illa necessitatem vocandi in eo, qui necessarius erat, in verbis: Que ayan derecho, & complexa est etiam impossibilitatem in eo, qui erat voluntarius, in verbis: Poder heredar, ut sit sensus, quod non extantibus legitimis vocentur illegitimi ad substitutionem Tertii, eo modo, & ordine, quo ipsis competit jus succedendi, ad cuius juris succedendi normam, & æquiparationem lex voluit regulari hanc vocatione sive substitutionem in Tertio. Atque ita filius naturalis, vel spurius respectu matris necessario vocandus est, quia ejus successio necessaria est. Filius autem naturalis respectu patris voluntarie vocandus est; scilicet si pater velit, quia ejus successio voluntaria est. Subdit Angulus idem, hunc intellectum, juri consonum, & necessariam esse, cum aliter prædicta jura conciliari non possint, nec tot difficultates subterfugi. Mihi autem falsum admodum esse, nec menti dictarum legum consonum, absonum potius atque extraneum, vel ex eo solum videri deberet, quod supra dixi, negari verè non posse, quin verba dict. leg. 27. Tauri, ibi: y que de otra manera no puedan poner gravamen alguno, ni condicion en el dicho Tercio, æqualiter debeant ad omnium substitutiones antea adjectas referri, sive omnes vocationes supra postas, pariformiter terminare: nam cum verbis præcedentibus substitutionum ordo expressus fuisset, dicitur tandè y que de otra manera no puedan. Ergo si deficient legitimi, nullo modo illegitimi prætermitti poterunt, ut lex ipsa satis clarè præsentit, ibi: Contanto que lo hagan entre sus descendientes legitimis: y a falta dellos, que lo puedan hazer entre sus descendientes illegitimis. Præterea dici non potest, verba dictæ l. prime, titulo octavo lib. 5. novæ collectionis Regie, ex eo solum non esse omnino similia verbis dictæ leg. 27. Tauri, quod in ea deficiat verbum poder quod legis dictæ 27. Tauri, conditores expresserunt: nam est verbum illud omisum fuerit, eundem tamen sensum, atque conditorum intentionem, & voluntatem fuisse in nostro casu, satis clarè deprehenditur ex aliis verbis omnino similibus, quæ in l. 11. titulo sexto, lib. 5. novæ collectionis Regie, transcribuntur. Unde à verbis dictæ legis prime, tit. 8. nullum argumentum, aut fundamentum potest validè, aut concludenter deduci, cum in ea non decideretur, aut tractaretur, præcipue casus tractatus aut decidus in dicta l. 27. Tauri, & in dicta lege 11. titulo sexto, sed alius longe diversus, quod negari non potest; nam in dicta l. 27. Tauri & in d. l. 11. novæ collectionis Regie, agitur de ordine substituendi, quoties parentes meliorationem Tertii bonorum suorum velint efficere: ac vero in dicta lege prima, titulo 8. ejusdem Regie collectionis, de successione ascendentiū, quoties descendentes legitimi deficiant, vel que ayan derecho de los heredar, & sic in casibus longè diversis, nequaquam debuerunt earum legum conditores omnino similia verba adijcere, imò ex proposito, atque consulto, & necessario fecisse, ex dictis supra deducitur manifestè, utpote cum ad successione vocandi necessitas patri non imponeretur, quæ in melioratione Tertii substituendi imposta est in dic. l. 27. Tauri. Deinde falsum omnino est, quod præfatus Author asserit, verba illa: Que ayan derecho de los poder heredar, respectu matris necessitatem præcisam continere, respectu vero patris solum voluntatem, nam in hoc differentia non est inter patrem & matrem, quod quisque fatebitur, qui connexitatem verborum dictæ legis Regie 27, perspiciat attentè. Et aperte satis colligitur ex initio ejusdem legis, ibi; Mandamos, que quando es

padre, o la madre majoraren à alguno de sus hijos, &c. & statim sequitur vericulus: Con tanto que lo hagan, &c. Ac demum adijcitur vericulus: y que de otra manera no puedan. Quo igitur pacto mater à patre distingui poterit in eo casu, quæ ibidem non modò non distinguitur, imò potius (ut vidisti simul atque jure eodem scribitur. Nec etiam eidem necessitas imponitur vocandi illegitimos, si eo modo necessitatem accipias, quò Angulus ipse intellexit. Poterit namque legitimis descendentiū ad melioratione vocatis, ad aliorumve vocationes non procedere, & sic illegitimos omnino prætermittere, eorumve nullam mentionem facere nec etiam vocationem: aliud jus erit, si ad superiores, aliorum vocationes procedat intendere, & tunc eadem necessitas patri erit, ut lex ipsa voluit, & dicitur statim. Denique, & deterius quidem loquitur Angul. metipse, quatenus in explicatione verborum d. l. 27. Tauri, constitutus ibi que ayan de recho de les poder heredar, inquit verba illa, poder heredar, complexa esse impossibilitatem in eo, qui non necessarius, sed voluntarius est, & sic in illegitimis, etiam si naturales sint respectu patris, nam (ut vides) certissimi quidem, atque explorati juris est, neque in patre, neque in filio naturali ullam impossibilitatem esse in hoc, idque non solum respectu vocationum, aut substitutionum facta melioratione tertii; quod idemmet Author statim agnoscit in fine d. glof. 11. ibi: filius autem naturalis, &c. sed etiam respectu successione universæ, si legitimi filii, aut descendentes legitimi deficiant; etiam si ad sint ascendentes legitimi, ut in lib. 8. tit. 8. lib. 5. compilationis deciditur.

Retenta autem sententia communi, quæ relata fuit supra, n. 2. cum segg. non obstat primum fundamentum quod in contrarium expendi solet communiter, atque ex verbis ejusdem l. 27. Tauri, deducitur: eidem namque plenissime satisfacit Velazq. de Avendaño, ibidem, glof. 2. n. 6. in versic. qua veritate, usque ad n. 8. & ejus solutionem amplectitur Joan. Gutierrez, pract. lib. 3. quest. 52. n. 5. in fine. §. n. 6. per totum, qui rectè advertit, obstaculum deductum ex verbo pueden, nihil urgere & subverti ex versic. y que de otra manera. Ex quo colligitur etiam substitutiones omnes, de quibus, necessarias, non voluntarias esse Addiderim ego subverti etiam ex verbis primis ejusdem libri: Mandamos, que quando el padre o la madre majoraren. nam si in matre omnes agnoscunt unanimiter substitutiones easdem necessarias esse, idem etiam necessario in patre agnosci debet, cum ad utrumque pariter illius legis decisio relata sit, nec pater distinguatur à matre. Deinde, necessitatem illam non injungi melioranti præcisè, fed causativam tantum: potest enim pater, vel mater melioratione facta, vel nullum gravamen adijcere, vel in favorem unius, vel aliorum illud apponere: si tamen plures substitutiones efficere velit, sive ulterius progredi, & ad superiores vocationes accedere, necessario tenebitur ordinè ibi præscriptum observare: ideo dicimus, formam illarum vocationum non inducere necessitatem præcisam, quoniam pater, aut mater omittere potest substitutiones, aut vocationes illas, si velit, sed causativam quandam necessitatem, ut si ad illas velit pervenire modo, ordine, utque forma ibidem præscriptis, id efficere debeat: quamvis ergo personarum vocatio, atque gravaminum appositio voluntaria sit, non tamen inde sequitur, vocationum ordinem voluntarium esse, si testator, aut meliorationem efficiens per omnes gradus personarum faciat substitutiones, aut vocationes.

Non obstat etiam secundum fundamentum contra communem sententiam, cui Velazquez de Avendaño, n. 8. & Joannes Gutierrez, n. 7. in locis supra relatis respondent in effectu, filium naturalem ex voluntate tantum patris eidè succedere, non verò esse necessariū ipsius hæredem. Cæterum in Tertio imponi patri necessitatem, ut si velit filium aliquid legitimum meliorare, & meliorationi gravamina, aut substitutiones adijcere, teneatur prius filium naturalem, quam ascendentes substituere,